



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

Sectio j. Dubitationis Resolutio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

dent, quia hi viarum grassatores ibi saepius aggre-
diuntur) negandum tamen sit; quia & textus de
4 grassatore in viis publicis, & itineribus frequen-
tis expresse loquitur (quae verba ad declarationem
delicti fuerunt apposita) & quia ly via publicum iter
denotat; quapropter qui itinera priuata, vel occultas
stratas obsidet, non videtur priuari immunitate Ec-
clesiastica, siquidem Pontifex solum excludit eos, qui
itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, iux-
ta l. 1. Cod. quando liceat vni, vt supra dicebam. Vide
Farinacium in append. de immunit. cap. 2. num. 165. Am-
brofin. cap. 3. num. 5. Bonacinam de legibus, disput. 3.
quaest. 7. de immunit. Eccles. §. 4. num. 1. & Lezanam
verb. Immunitas, num. 9.

5 Ex dictis sequitur, tonsores monetarum, vel alios
sine armis, & violentia subripiantes, seu occultè, vel
in viis priuatis, aut etiam in viis publicis, at non
per insidias, sed quasi ex accidenti furantes, non
priuari immunitate Ecclesiae: quia non sunt publici
latrones, nec dicuntur obsidisse vias frequentatas,
iuxta cit. capit. inter alia, l. 1. Cod. ne liceat vnic. sine
iudic. sibi ins dicere, & cit. Constitut. Gregorij XIV.
& tradunt Decianus, Ambrosin. Farinacius, & Pere-
grinus in locis supra cit. quamvis Couarr. cit. num. 14.
6 Suarez cap. 12. num. 4. & Filliucius num. 152. putent
contrarium consuetudine ex parte receptum esse de
eo, qui in priuatis viis, aut alibi per insidias aggredi-
tur, & furatur. Vide quae dicebam dub. 18. num. 7.

DUBITATIO XIX.

An priuatur, qui occidit, vel mutilat in Eccle-
sia, vel Cameterio.

SECTIO I.

Dubitationis Resolutio.

SUMMARIUM.

- 1 Occidens, vel mutilans in Ecclesia, vel Camete-
rio non gaudet immunitate: nam ly Et in textu,
stat pro Vel.
- 2 Delinquens in Ecclesia indignus est immunitate Ec-
clesiae.
- 3 Frustra legis auxilium inuocat, qui legem contemnit.
- 4 Puniri quis debet in eo, in quo deliquit.
- 5 Mutilator est qui abscondit membrum, non qui vulne-
rat debilitando membrum, & abscondit membrum,
cuius officio corpus mouetur, & iuuatur.
- 6 Digni, dentes, & huiusmodi multa non sunt membrum,
sed potius partes membri.
- 7 An qui aliud delictum graue, licet non exceptum com-
mittit in Ecclesia, gaudeat immunitate: sunt Au-
ctores grauissimi pro vtraque sententia.
- 8 Tenentes partem negatiuam quod non gaudeant immu-
nitate ceteri delinquentes in Ecclesia, arguunt à
maioritate rationis.
- 9 Opinio in contrarium, quod ceteri delinquentes in
casibus non exceptis, in sententia Auctoris est pro-
babilior.
- 10 Delinquentis in Ecclesia ratione loci commissi delicti
est puniendus à iudice Ecclesiastico, vel consulto
prius Romano Pontifice potest tradi Curia seculari,
si delictum sit atrocissimum.
- 11 Diuersum est aliquid potuisse iuste fieri, & factum non
esse.
- 12 In panis, et in censuris, & irregularitatibus non vale,

argumentum à paritate, quin neque à maiori-
tate rationis.

- 13 Homicidium, & mutilatio non solum exempli causa,
sed tanquam materia integre prohibita, non gaudet
immunitate.
- 14 Homicidium, & mutilatio commissi in vna Eccle-
sia, etiam non consecrata, priuant immunitate
etiam in ceteris Ecclesiis, secundum probabiliorem.
- 15 Qui offendit vnam Ecclesiam, offendit omnes, cum
Ecclesia sit vna per totum Orbem diffusa.
- 16 Reus aliorum criminum in Ecclesia commissorum, pra-
sertim si rationem sacrilegij habeant, ratione loci
commissi delicti, potest puniri à Iudice Ecclesiasti-
co, vel consulto Romano Pontifice Iudici seculari
est remittendus.
- 17 Sacrilegium est delictum mixti fori.
- 18 Committens in Ecclesia leuia delicta gaudet immu-
nitate.
- 19 Qui mutilat, vel occidit in Ecclesia non potest
capi ob alia delicta in Ecclesia, nisi simul capiat
ob delictum mutilationis, vel homicidij nondum
castigatum.

Suppono cum communi Doctorum sententia, quae
Sequitur Clarus §. fin. quaest. 30. num. 13. vers. item
quarto, Farinac. quaest. 28. num. 53. & Peregrin. capite 5.
num. 14. quod licet Gregorius XIV. in sua Constitu-
tione dicat: Qui homicidia, & mutilationes membro-
rum in Ecclesia, vel Cameterio committere non veni-
unt, immunitate non gaudere, vtendo coniunctio-
ne illa Et; quod etiam habetur in capite fin. de immu-
nit. qua denotari videtur, vtrumque requiri, vt
quis immunitate priuetur: Contrarium tamen di-
cendum sit, sufficere scilicet ad hoc, occidere, vel
mutilare in Ecclesia, quia sic est praxis totius Ec-
clesiae: tum quia alioquin occidens, sed non muti-
lans in Ecclesia, gauderet immunitate Ecclesiae, quod
minimè dicendum videtur: tum quia mirum non est,
quod ly Et, sumatur disiunctiue pro ly vel, vt dicam
cap. 19. dub. 77. Hoc supposito.

Respondetur affirmatiue, cit. capite fin. de immunit.
Eccles. & cit. Constitutione Gregorij XIV. & docent
communiter Doctores, & merito, quia (vt dicitur
in cit. cap. inter alia, & c. id Episcopus, 17. quaest. 7.)
delinquens in Ecclesia, indignus est immunitate Ec-
clesiae: tum quia (vt dicitur in capite frustra, de vsu-
ris, & in l. auxilium, §. in delictis, de minoribus,) fru-
stra legis auxilium inuocat, qui legem contemnit: 3
tum quia puniri quis debet in eo, in quo deliquit, 4
& sic, si deliquit in Ecclesia, puniri debet priuatione
Ecclesiae, sicut & puniri à superiore Ecclesia: quia
deliquit in Ecclesia.

Est autem mutilator (vt dicitur in tractatu de
irregularitate) qui abscondit membrum, non qui
vulnerando debilitat membrum (cum aliud sit vul-
nerare & debilitare membrum, & aliud mutilare
membrum.) Et qui abscondit propriè membrum,
cuius scilicet officio corpus mouetur, & iuuatur,
vt sunt oculi, pedes, manus, lingua, mandibula,
&c. non sic digiti, & dentes, qui non sunt mem-
brum, sed potius partes membri: membrum enim
propriè est pars illa corporis, quae proprium ha-
bet officium distinctum ab aliis partibus, Bartol.
l. 2. ff. de publicis iudic. Nauar. cap. 27. numero 20.
Couarr. in Clement. si furiosus, part. 3. Molin. tom. 4.
disputat. 69. numero 2. Auila de censuris, part. 7.
disputat. 5. sect. 2. dubitat. 1. Suarez de cens. disput. 44.
sect. 2. numero 6. Toletanus lib. 1. cap. 71. Filliucius
tractat. 29. cap. 9. numero 235. & Reginaldus lib. 3. l.
num. 91. contra Caetanum 2. 2. quaest. 68. art. 5. Sotum
de iust. & iur. lib. 5. quaest. 2. art. 1. & alios, qui
tenent, membrum propriè illud esse, quod habet offi-
cium

cium diffunctum, vel coniunctum cum aliis membris, ut est digitus secundum ipsos: quapropter secundum nostram sententiam digitus, quamvis pollex, vel index, non est propriè membrum, sicut nec dentes, ungues, testes, barba, capilli, digitorum articuli, nares, pars carnis, copia sanguinis, vel auriculae, id est cartilago illa externa; quæ tuetur aurem, & ornat faciem. Idem dico de mammillis maris, cum non habeant actum proprium, & particularem, sed potius videantur inferuire ad ornatu hominis; oculus autem, manus, pes, auris, lingua, membrum virile sunt propriè membra, quia habent particulares actus distinctos ab aliis membris. Idem dico de mammillis femellæ, eo quod habeant proprium actum, & officium distinctum à cæteris membris, ut bene Vgolinus de irregulari, capite 4. §. 5. Molin. numero 6. Sayr. lib. 6. cap. 15. num. 18. Reginal. num. 91. quamvis Baldus, Couar. & alij existimant, mammillam feminae non esse propriè membrum: & Cepolla apud Giurbani conf. 40. num. 6. putet, nec linguam similiter esse propriè membrum.

7 Dices: ergo & immunitate priuatur quicumque in Ecclesia, vel Cameterio aliud delictum graue (quamvis non exceptum) committit; cum & hic sit eadem ratio decidendi.

Respondetur, quod quamvis Abb. in cap. immunitatem, extra de immunit. Eccles. Clarus §. fin. quest. 30. num. 13. Angelus de Castro inter consilia Pauli patris, consil. 48. lib. 2. Petrus Gregor. lib. 33. cap. 22. num. 6. Nauar. cap. 26. num. 20. Couar. 2. variat. cap. 20. numero 15. Decianus lib. 6. cap. 28. num. 7. Suar. lib. 3. de reuerentia debita locis sacris, ap. 11. num. 6. Farinac. de carceribus, quest. 27. num. 53. Gutierrez pract. 99. Civil. lib. 3. quest. 1. num. 17. Raphaël de la Torre in 2. 2. tom. 2. quest. 99. art. 3. disput. 7. Reginald. in prax. tom. 1. lib. 9. cap. 26. num. 38. in fin. Tanner. in 2. 2. disput. 5. quest. 8. dub. 1. num. 16. Sarpus de iure Aylorum, cap. 5. fol. 49. Graff. tom. 1. lib. 3. conf. unic. num. 10. & seqq. de immunit. Eccles. Portell. vers. Eccles. immunitas, numero 15. Gambacurta lib. 5. cap. 18. Villadieg. in Polit. cap. 3. num. 206. Barbosa in collectan. tom. 1. lib. 3. tit. 49. cap. 10. num. 4. Ioan. de Henia in Curia Philipp. part. 3. §. 12. num. 20. Zipæus in iure nouo Can. lib. 3. de immunit. Eccles. num. 10. Bobadilla Polit. lib. 2. cap. 4. num. 24. Cutellius de immunit. Eccles. lib. 1. quest. 2. & alij affirmant propter eandem rationem supradictas, & quia non videtur credibile, quod Pontifex voluerit immunitatem denegari vulneranti in Ecclesia, & illam concedere moechanti, adulteranti, stupranti, simoniam committenti, vel falsam pecuniam eudenti, &c. in eadem. Vnde, inquit ipsi, dicendum est, quod Pontifex homicidium, & vulnerationem apposuerit exempli causa ex eo, quod homicidium, & mutilatio frequentius in Ecclesia contingant; sub ipsis tamen cætera delicta grauia sacrilegia comprehenderit. Tamen probabilius negatur, quia priuatio immunitatis est poena, & in præiudicium Ecclesiæ, & sic non extendenda vltra verba legis, id est, ad alia delicta grauia in Ecclesia commissa præter homicidium, & mutilationem, cum de solis illis cit. cap. fin. & citata Constitutio Gregorij XIV. loquantur, licet talis delinquens sit puniendus à Iudice Ecclesiastico, ratione loci, in quo delictum commissit, vel consulto prius Romano Pontifice possit tradi Curiaæ seculari, si delictum sit atrocissimum. Confirmatur, quia Sacra Congregatio Immunitatis 18. Martij 1631. apud Barbosam in Collectan. Bullar. verb. Immunitas, declarauit, quod immunitate gaudeat furans in Ecclesia: ergo, &c. Atque ita docent Farinac. in append. de immunit. cap. 16. num. 208. & in decis. consil. 76. numero 7. & 9. Gratian. in discept. forens. tom. 2. cap. 380. n. 29. Boerius decis. 109. num. 3. Genuens. in prax. cap. 22.

num. 8. Peregrin. in tract. de immunit. Eccles. capite 6. num. 23. & cap. 12. quest. 15. Riccius part. 5. collect. 1792. (vbi sentit, quod per Constitutionem Gregorij XIV. correctum sit cap. fin. de immunit. Ecclesia.) Megalius 3. part. lib. 4. cap. 2. quest. 1. num. 15. Scortia Epi. 153. Theor. 385. Diana 1. part. tract. 1. resol. 2. & 39. Bonacina disput. 3. quest. 7. de immunit. §. 5. num. 12. & alij passim contra Nauarrum, Couarruu. & alios Doctores supra citatos; & præterea contra Sanchez in selectis disput. 44. num. 52. vbi subdit, quod qui delinquit in Ecclesia, neque gaudeat immunitate quoad alia delicta extra Ecclesiam commissa: qua de re tamen vide quæ dicuntur infra dubit. 22. & dubia. 24. sect. 22. in fin.

Vnde neque obstat opposita: non enim obstat 11 primum; quia licet ratio decidendi æquè procedat in aliis casibus grauib, hinc tamen solum sequitur, quod in aliis casibus grauib iuste idem constitui poterit, non tamen quod de facto constitutum sit. 12 Vnde ortum est illud dictum, quod in penis, ut in censuris, irregularitate, &c. non valeat argumentum à paritate, quin neque à maioritate rationis.

Neque obstat secundum, quia alia crimina grauia 13 Pontifex non excludit: nam ita frequentiora non sunt.

Neque obstat tertium, quod scilicet homicidium, 14 & mutilationem exempli causa tantum apposuerit: apposuit enim verè, tanquam materiam integrè prohibitam, ut colligitur ex dictis.

Probabilius itaque est, quod tantum homicidium, & mutilatio commissa in Ecclesia priuent immunitate, quamvis hæc ita priuent, ut non solum in Ecclesia, in qua quis alterutrum eorum delictorum commisit, tutus non sit, sed nec etiam in aliis Ecclesiis, ad quas confugit, quia adhuc verum est talem perpetrasse delictum homicidij, vel mutilationis in Ecclesia, præsertim quia immunitas, qua sic delinquens 15 priuatur, est eadem in omnibus, & qui offendit vnam Ecclesiam offendit omnes, cum Ecclesia sit vna per totum orbem, sicuti ex communi sententia Doctorum contra Syluestrum verb. Immunitas, §. 3. & quosdam alios docent Couar. 2. variat. cap. 20. num. 15. Sanchez tom. 2. consil. moral. lib. 6. cap. 1. dub. 7. num. 16. Lezana verb. Imm. n. 1. Eccles. num. 11. Azor 2. part. lib. 9. cap. 9. quest. 9. Anastas. Germon de sac. immunit. lib. 3. cap. 16. num. 80. Clarus pract. lib. 5. §. fin. quest. 30. Reinig. Gonny sententia 11. num. 2. Tolofanus decis. 421. Decian. lib. 6. cap. 28. num. 8. & 10. Ambrosin. de immunit. cap. 5. num. 3. Farinac. de carceribus, quest. 28. num. 59. & in append. de immunit. cap. 16. num. 219. Scortia theor. 385. Bonacina disput. 3. quest. 7. de immunit. §. 4. num. 7. Cutellius de immunit. Eccles. lib. 1. quest. 3. num. fin. Mar. Italia lib. 1. cap. 5. §. 1. numero 20. Peregrin. cap. 6. num. 19. & Filliuc. tractat. 15. cap. 6. quest. 8. num. 152. qui rectè subdunt, id verum esse etiam si prædicta delicta commissa fuerint in Ecclesia non consecrata, quia si sic delinquens non gaudet priuilegio Ecclesiæ consecratae, multò magis non gaudebit priuilegio Ecclesiæ non consecratae. Vide Doctores supra citat. præcipuè Farinacium in append. cit. cap. 16. num. 228. & Marium Italiam §. 3. num. 25. & 26.

Aduerte tamen hic, quod ob alia crimina etiam 16 in Ecclesia commissa (præsertim si rationem sacrilegij habeant) ratione loci, in quo sunt commissa, possit delinquens à Iudice Ecclesiastico puniri, vel à Pontifice impetrari, quod iste; non obstante immunitate delinquentem Iudici seculari puniendum remittat, ut supra dicebamus, & hoc Pontifex libenter concedit, ut aduertit Farinacius citat. cap. 16. Vide quæ dicuntur infra dubit. 24. sect. 8. & dubit. 39. in fin. Vnde sequitur etiam, quod & ob crimen in Ecclesia

Ecclesia commissura in eo casu, in quo debeat delinquens seculari iudici plectendus remitti, quia immunitate non gaudet, possit à Iudice Ecclesiastico puniri ratione sacrilegij (vt dicebam) ratione cuius, cum sit mixti fori, Ecclesiasticus etiam Iudex competens factus est, vt consentit etiam Cutellius lib. 1. c. 1. quest. 12. num. 23.

- 17 Aduerte secundò, quod etiam stando in opinione contraria, in terminis iuris communis, nedum
18 in terminis Constitutionis Gregorij XI V. (quidquid in contrarium dicat Sarpus de iure Asylorum capite 5. fol. 43.) immunitate Ecclesiæ gaudeat is, qui in Ecclesia leuia tantum delicta committit: Atque ita docent Hostiensis, & Abbas in cap. fin. idem Abbas in cap. inter alia, Henricus Boëchius in cap. Ecclesia, de immunit. Eccles. Paulus de Castro lib. 2. cons. 1459. (vbi dicit esse communem) Couarr. lib. 2. var. cap. 20. num. 15. Farinac. de carceribus, quest. 28. num. 63. Suarez de relig. tom. 1. lib. 3. cap. 11. num. 6. Sanchez in opusc. tom. 2. lib. 6. cap. 1. dub. 8. num. 15. Peregrinus de immunit. cap. 6. num. 29. Villalob. in sum. tom. 2. tract. 39. diff. 5. num. 6 vbi citat Panormitanum, & Suarez de Paz. Item Fagundez præ. epi. 2. lib. 4. cap. 4. num. 48. Perficus de offi. Sacerd. lib. 1. cap. 9. dub. 15. num. 108. Raphael de la Torre tom. 2. in 1. 2. S. To. quest. 9. art. 3. diff. 7. C. hartarius decis. crim. 74. num. 6 & alij passim communiter.

Aduerte tertio, quod qui mutilauit, vel occidit in Ecclesia, non possit ob alia delicta capi in Ecclesia, nisi simul capiatur ob delictum mutilationis, vel homicidij, nondum punitum: ita contra Ambrosinum cap. 5. num. 10. Decianum, & alios apud Farinacium, de car. crib. q. 1. 28. n. m. 64. & in append. cap. 16. num. 212. docent Couar. Boërius, & alij, quos citat Gutierrez lib. 3. præli. quest. 1. num. 18. ratio pro nunc breuiter est, quia ob alia delicta non datur facultas extrahendi, & verba sunt formaliter accipienda, vt in simili dicam de hæretico. Vide quæ dicebantur dub. 10. sect. 4. & quæ dicentur cap. 22. & dub. 24. sect. 22.

SECTIO II.

An priuatur, qui vulnerat in Ecclesia?

SVMMARIVM.

- 1 Vulnerans in Ecclesia vulnere non lethali, quamvis cum magna sanguinis effusione, non priuatur immunitate.
- 2 Vulnerare etiam cum magna sanguinis effusione, non est mutilare, nec occidere, & solum mutilanti, & occidenti pœna priuationis immunitatis infligitur.
- 3 Inferens frigia in faciem alicuius in Ecclesia, gaudet Ecclesiæ immunitate, non obstante delicti atrocitate.
- 4 Reus per vim intrans in Ecclesiam cum satellitibus, à quibus ducitur, si vt se eximat ab eorum manibus illi: eos vulneret cum magna sanguinis effusione, gaudet immunitate.
- 5 Reus ob delictum lise maiestatis in primo genere tantum priuatur immunitate: at offendens Berruarios non committit in primo genere.
- 6 Reus, qui captus à satell. lib. 5 in Ecclesia eos vulnerat, peccat quidem vulnerando, sed non peccat confugiendo ad Ecclesiam.
- 7 Ius naturæ dicitur fugam, quando imminet periculum graue.
- 8 Reus ad euitandum graue periculum contra Principis voluntatem licite fugere potest à carcere, quin & carcerem infringere.

9 Reus, qui trahit satellites secum, & non trahitur à satellitibus, non dicitur esse in posse ipsorum, sed verè confugit ad Ecclesiam.

10 Iura generaliter sine distinctione loquuntur de confugientibus.

11 Immunitate priuatur, qui vulnerat in Ecclesia lethali, licet sic vulneratus moriatur ex ra Ecclesiæ, gaudet autem immunitate, qui mutilat, vel occidit ex ra Ecclesiæ, si passus se recipiat in Ecclesia, ilique moriatur.

EX dictis sequitur primò, quòd immunitate non priuatur, qui in Ecclesia vulnerat vulnere, ex quo mors non sequatur, quamvis sic cum magna sanguinis effusione, quia vulnerare, etiam cum magna sanguinis effusione, non est mutilare, nec occidere; & solum mutilanti, & occidenti, ex c. fin. de immunit. & maxime ex Constitutione Gregorij XIV. pœna priuationis immunitatis infligitur. Atque ita contra Tufchum verb. Immunitas, conclus. 59. Mar. Italiam lib. 1. cap. 5. §. 3. num. 18. & quosdam alios docent Farinac. in append. de immunit. cap. 16. num. 227. Boërius decis. 109. num. 3. Barbosa in collectan. tom. 1. lib. 3. tit. 4. cap. 10. num. 10. Lezana verb. immunitas, num. 11. Diana part. 1. tract. 1. resol. 9 & 11. Palaus tom. 2. tract. 11. disput. vnic. punct. 6. num. 10. & C. hartarius decis. crimin. 74. Quapropter Sacra Congregatio Episcoporum die 16. Nouembris 1618. teste Barbosa de iure Ecclesiastico lib. 1. cap. 3. declarauit, quod inferens sfrigia in faciem alicuius in Ecclesia, Ecclesiæ immunitate gaudeat, non obstante, quod tale delictum sit graue, & atrox, vt recte notarunt Menochius de arbit. iudic. cas. 263. num. 27 & Pacianus consil. 92. num. 2. Vide quæ dicentur infra dub. 24. per totam.

Hinc contra Gambacurtam lib. 4. cap. 18. num. 6. Villadieg. in Polit. p. 3. num. 206. & Cutellium de immunit. Eccles. lib. 2. quest. 13. dicendum est, quod si reus iam vicinus Ecclesiæ cum ipso satellite per vim intrat in Ecclesiam; & vt se de illius manibus eximat, eundem cum magna sanguinis effusione vulnerat, immunitate Ecclesiæ non priuatur, vt in terminis docet Farinacius vbi supra, & Diana cit. tract. 1. resol. 13. Vide d. b. 10. sect. 7. & dub. 33.

Obiicies ex Cutellio loco cit. reus in tali casu committit in ministrum Principis: ergo immunitate Ecclesiæ non gaudet.

Respondetur: nego consequentiam, quia vt reus non gaudeat immunitate Ecclesiæ, requiritur, quod committat in personam Principis, vt infra dub. 23. sect. 4. dicitur.

Instabis ex eodem Cutellio: non obedit Principi, cui vt subditus obedire debet, ex D. Paulo ad Roman. cap. 13. & ex multis iuribus: ergo.

Respondetur: transeat antecedens: at nondum probatum est, quod reus ob tale delictum immunitate Ecclesiæ priuatur. Accedit, quod licet peccet in Ecclesia ministrum iustitiæ vulnerando, non tamen peccat ad Ecclesiam fugiendo, contra Principis voluntatem, quia ad hoc præualet ius naturæ, quando quidem dicitur fugam, quando imminet periculum graue: vnde & ad hunc finem licet etiam contra Principis voluntatem potest à carcere fugere, quin & carcerem infringere, neque per hoc omnia perturbantur, vt infert Cutellius, quia id est solum in tali casu, & valde per accidens, & si accidat, sibi impudent ministri iustitiæ, cum non dicant cautius agere.

Virgebis ex eodem Cutellio: est in posse, seu manu satellitis: ergo immunitate Ecclesiæ gaudere non debet, cum sic non liber confugiat, seu se recipiat ad Ecclesiam.

Respondetur: nego consequentiam, quia cum non trahatur à satellite per Ecclesiam, sed ipse trahat satellitem